



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XX. Vtrum sacramenta antiquæ legis conferant gratiam ex opere operatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Q V Æ S T I O XX.

Vtrum sacramenta antiqua conferrent gratiam ex opere operato?

Videtur, quod conferrent. 1. Quia constat ex q. vndecima conueniens fuisse, vt pro statu naturæ lapsæ, iterumque eleuata, instituerentur sacramenta, vtque eidem naturæ, ex quo lapsa est, prouideretur de aliquo eiusmodi remedio peccati originalis, & malorum emergentium ex ipso. Constat rursus ex quæst. 28. de Deo semper vnique Deum prouidere de his, quæ conueniunt, vt ei prouideantur. Sacramenta autem, quæ nullam conferrent gratiam vi sua ex opere operato, nullam vtique conuenientiam haberent, aut rationem remedij respectu originalis, & malorum subsequens. Ergo nullo tempore relicta est natura lapsa cum solis eiusmodi vacuis sacramentis; sed semper aliqua, vel aliquod habuit sacramentum, beneficio cuius obtineretur gratia, & remissio peccatorum, præsertim originalis, ex opere operato.

2. Innocentius quartus c. *Maiores* de baptismo videtur manifestè tribuere sacramento circumcisionis vim collatiuam gratiæ ex opere operato; Præsertimque primo loco, quod baptisma *successerit circumcissioni*. Deinde comparat illud. Genes. 17. 14. *Anima, cuius praputij caro circumcisa non fuerit, &c.* cum illo Ioan. 33. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Demum prænotato cautè, quanto plus baptisus hodie conferat Christianis, quam quondam Indæ circumciso contulisset, concludit discrimen vtriusque in hæc verba: *Quoniam & si originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum Celorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseruatum. Sed per sacramentum baptisimi, &c.* Ergo quoad vim remittendi peccatum originale, & vitandæ periculum damnationis, adeoque quoad vim conferendi gratiam, per quam solam vtrumque illud bonum formaliter habetur, nullum est discrimen inter circumcisionem, & baptismum, de quo iam nuper constituit conferre gratiam ex opere operato.

3. Videtur dubitari minimè posse, quin Augustinus sæpe attribuat circumcisioni vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Quia lib. 2. contra litt. Petiliani cap. 72. *Antiquus populus, ait, circumcissionem pro baptismo crebatur*, lib. 5. Hypognosticon. à medio: *Circumcissio illa, dicitur, octauæ diei gratiam baptisimi gestabat, & paruulus, qui ea fraudatus est, delicto, quod ex Adam contraxit, non caruit*. Fundamentum Augustini præcipuum, si non & vnicum, est locus ille Genes. modò insinuatus, qui ex versione 70. Interpretum sic habet apud ipsum *Masculus, cui non circumcidetur caro praputij sui octauo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit*. Ex particula *octauo die*, deducit in ea comminatione comprehendit etiam paruulos nondum compotes rationis. Comminationem verò accipit de interitu æternò. Testamentum denique dissipatum intelligit, non legem ipsius circumcisionis, sed præceptum impositum Adamo, & ab eo violatum. Atque his ita positis concludit lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24. *Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei reputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum, per se ipsum, sacramentum plurimum valebat*. Quis porro istud, ipsum per se ipsum plurimum valere, non confundat cum valore ex opere operato? Ob istas igitur

& alias similes auctoritates Scotus, Durandus, Suarez, Gamachæus, & alij nonnulli meritò, vt videtur, concedunt circumcisioni, & consequenter remedio legis naturæ adiunctis originale, vim collatiuam gratiæ ex opere operato, licet reliquis ante Christum sacramentis negent eandem vim, tum ipsi, tum ceteri omnes Theologi. Nec videntur audiendi Cardinalis de Lugo, Tannerus, & pauci alij medias quasdam sententias sequuti circa circumcisionem, vt auctoritatibus hinc, & inde vehementibus quoquo modo occurrerent. Quæ quidem auctoritatum vehementia tanta est, vt ipse etiam D. Thomas circa eandem circumcisionem nutauerit non semel, licet sententiæ tandem negatiuæ firmiter adhaerit, vt apparet in præfenti ex quæst. 62. art. 6. & q. 70. art. 4. & ad Hebr. 9. lect. 4. fine.

Art. 1. Respondetur. Dicendum est, neque circumcisionem, aut sacramentum, quod ante legem, & ante aduentum Christi Domini semper viguit, & communiter dicitur remedium legis naturæ, atque circumcisioni, & baptismo aliquantulum correspondebat; neque vllum aliud antiquum sacramentum habuisse vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Conclusionem istam dixit certam ex fide, & eius dogma appellauit Bartholomæus Medina. Verum Cardinalis Bellarminus Vasquez, Valentia, & alij cum D. Thoma, Capreolo, & alijs merito tenent eandem solum vt longè probabiliorem. Colligitur imprimis admodum clarè ex Conc. Florent. in decreto fidei post vltimam sessionem §. *Quinto Ecclesiasticorum*, vbi de sacramentis nouæ legis sic definit: *Multum à sacramentis differunt antiqua legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè recipientibus conferunt*. Suffragatur haudquaquam obscure Concil. Trident. sess. 7. dum condemnat. Primum Can. 2. dicentes *sacramenta nouæ legis non differre à sacramentis antiquæ, nisi quia sunt diuersæ ceremonia ritusque diuersi*. Deinde can. 6. dicentes: *sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, & esse tantum signa externa acceptæ iustitiæ, & notas quasdam Christianæ religionis*. Quæ profectò definitiones inuicem collatæ satis clarè innuunt totum, inter vtraque sacramenta, discrimen in hoc situm esse, quod alia contineant, alia non contineant gratiam; alia essent tantum signa externa acceptæ iustitiæ, alia non hoc tantum sint.

Art. 2. Includitur porro, vel maximè circumcisio sub decisionibus vniuersalibus vtriusque Concilij: Tum quia ipsa erat præcipuum antiquæ, seu Mosaicæ legis sacramentum, institutum quidem ante ipsam legem tempore Abraham, sed quòd postea coaluerit legi, tanquam principale distinctiuum populi profiteris eandem legem, ideoque valde præeminens inter sacramenta talis legis: Tum quia in Tridentino illa verba *signa quedam acceptæ iustitiæ, & notas quasdam Christianæ religionis*, manifestam continent allusionem ad circumcisionem. Tum denique ob vniuersalitatem propriam dictionis negatiuæ usurpatæ à Florentino absque vlla restrictione, aut insinuatione restrictionis; quæ tamen erat valde necessaria, ob rationes prædictas, vt excluderetur, atque à fidelibus intelligeretur exclusa circumcisio, ne eis subreperet opinio falsa de præeminentia suorum sacramentorum super omnia omnino anteriora sacramenta.

Art. 3. Vtrumque Concilium hausit eam doctrinam ex Apostolo sæpe, ac manifestè negante antiquis sacramentis, maximè verò circumcisioni vim collatiuam gratiæ ex opere operato. Primum enim in Epistolæ ad Rom. præmissa cap. 2. iustificatione ex fide, non minus Gentilis, quam Iudæi, subiungit cap. 3. initio, sibi que opponit in hunc modum. *Quid ergo*

amplius Iudæo est autque utilitas circumcissionis; Respondet verò immediate ad primam partem obiectionis: *Multum per omnem modum. Primum quidem* (idest potissimum) *quia credita sunt illis (Iudæis) eloquia Dei*; idest reuelationes, & promissiones diuinæ. Tota ergo vel certè præcipua prærogatiua Iudæi præ Gentili consistit in maiori mentis illustratione per maiorem, magisque amicabilem spiritualium, ac diuinarum rerum manifestationem. Ad alteram partem obiectionis respondet cap. 4. in cuius principio replicat eandem obiectionem, atque summa responsionis habetur versu 11. in hæc verba: *Et signum accepit Abraham circumcissionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit Pater omnium credentium.* Tota itaque specialis utilitas circumcissionis sita erat in significatione iustitiæ, quæ est per fidem communem omni homini, siue Gentili, siue Iudæo; ita ut Iudæo solum specialiter conueniret protestatio fidei de iustificatione, per eandem fidem, inducta, nec non promissionum diuinarum de reconciliatione Dei, quæ subsequutura postea erat, iuxta illud Genes. 17. 11. *Circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fæderis inter me, & vos.* Neutra autem responsio Pauli, aut ista circumcissionis expositio fuissent idoneæ, si circumcisio habuisset vim liberandi à peccato, & sanctificandi ex opere operato. Hæc enim tanta vis fuisset procul dubio præcipua Iudæorum prærogatiua, & maxima utilitas, primumque prædicatum circumcissionis, non solum præ cæteris sufficiens ad respondendum dubitationi præmissæ, sed, & omnem dubitandi aditum penitus intercludens, ut apparet in baptismo pro Excellentia Christianorum, ipsiusque baptismi utilitate, quas nemo exposuerit, ac commendauerit idoneè prætermissa virtute eiusdem baptismi ad iustificandum, & ad conferendam gratiam ex opere operato.

Art. 4. Rursus in Epistola ad Galatas, cum eum populum idololatriæ prius deditum, & postea in, & ex absentia ipsius Pauli repentem Iudaismum, toto capite tertio vehementer contendisset ab eo proposito reuocare, & ad Euangelium pertrahere, insistent capite quarto eidem cohortationi subdit, inter alia v. 9. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis?* Quasi dicat. Quomodo egenam, & infirmam idololatriæ religionem antea professi, ad aliam iterum egenam similiter, & infirmam religionem, qualis est Iudaismus, conuertimini? Patet nimirum ex contextu non agi de reuocandis Galatis, ab idololatria, sed de iisdem remouendis à Iudaismo, uti docent Augustinus, & alij Sancti PP. ex confessione Suarij, & demonstrat efficaciter D. Thomas in eum locum. Vnde consequenter cæremonia, & sacramenta Iudæorum appellantur ab Apostolo infirma, & egena elementa; qualia tamen dici minime potuissent indiscriminatum, & vniuersaliter, si quod Iudæorum sacramentum vsurpandum à profitente Iudaismo, habuisset vim aliquam conferendi gratiam ex opere operato. Quia quod habet eam vim robustum potius est, & locuples elementum. Ergo nec circumcisio nec vllum aliud sacramentum, quod esset in vsu apud Iudæos, habuit vim vllam conferendi gratiam ex opere operato. Id quod oportet verum esse, non solum ex suppositione Euangelij, sed etiam absolute ex sua natura, & præscindendo ab Euangelio, atque ab Euangelij promulgatione. Nempe apud Galatas, de quorum ad Euangelium reductione agebatur, supponendi minime erant effectus euangelij promulgati, ipsūque Euangelium, sed deprimendus erat, Iudaismus ex eo tantum, quod ipsius secundum se, & ex sua natura, absolute proprium esset.

Art. 5. Postremò 7. ad Hæbr. 18. *Reprobatio quidem fit pronunciat Apostolus, præcedentis mandati*

propter infirmitatem eius, & inutilitatem; Nihil enim ad perfectum adducit lex. Quod sane, per nitiā, & nimis aberrantem à vero exaggerationem, dictum merito videri posset si aliquod eius legis sacramentum, siue physice, siue moraliter contulisset gratiam ex opere operato. Nec enim infirma, & inutilis, & impotens ad perfectum adducere, iisque titulis reprobabilis dici syncerè, ac legitime potest ea lex, quæ tantum, & tam præcellens priuilegium contineret, ut opere exteriori per ipsam iniuncto, independentè ab omni merito, omnique actu interno laudabili, tam exequens illud, quàm eius, ad quem dirigetur poterat abolere peccatum gratiam sanctificantem conferre, & in æternam vitam æternæ securitatem inducere. Sanctos PP. hoc modo, ac sensu exponentes Apostolum recenset magno numero, & expendit accuratè Vasquez tom. 1. in 1. 2. disput. 130. c. 2. ibidemque obstruit diligenter euasiones, & interpretationes aduersariorum, quibus nos præoccupando, aditum præclusimus inter proponendum argumenta nostra.

Ad 1. Natura humana, non obstante peccato restituta est per diuinam misericordiam in statum eleuationis. Oportuit consequenter, ut eidem indulgeret remedium aliquod peccati originalis, & effectum eius, utque illud esset coniunctum cum aliquo, aut aliquibus rebus sensibilibus perducens animum ad intelligibilem, ac supernaturalium considerationem, & prosecutionem, ut ostensum est in quæst. illa 11. Verum indulgentiæ eius dispensatio debuit esse diuersa, & inæqualis perfectionis pro diuersis temporibus, atque ad cumulum peruenire sub aduentum Christi, ut inibi commonstratum est.

Art. 2. Ex hoc porro principio, iunctis testimoniis in vtramque partem nuper expensis, deducitur diuersitatem eam, & inæqualitatem ante, & post aduentum Christi in hoc sitam esse, ut ante Christum aboleretur originale, & obtineretur augmentum gratiæ non ex vi præcisè operis alicuius exterioris secundum se, seu ex opere operato, sed ex vi fidei interioris coniunctæ cum laudabili, ac salutari voluntate eandem fidem protestandi per opus aliquod exterius determinatum, ex instinctu, aut ex institutione diuina. Quod proinde opus diceretur, & esset sacramentum quatenus interiorē fidem, & volūtatē salutariter conceptas, quas protestabatur, immediate significabat, & mediātē gratiam sanctificantem inductam vi eorundem actuum, ideoque diceretur gratiam etiam ipsam conferre per denominationem ab actibus internis, vi quorum, & inducebatur interior gratia, & inferebatur ipsum opus exterius. Post Christum verò, & post eius passionem opus ipsum externum utcumque siue honestè, siue inhonestè executioni mandatum gratiam induceret vi sua præcisè, independentè à laudabilitate, & virtute meritoria actus interni, quo imperatur ex parte ministri.

Art. 3. Huiusmodi scilicet discrimen, cum maxime congruat discursui proposito in dicta quæstione 11. simul etiam consonat auctoritatibus; iis quidem, quæ in ista, & in præcedenti quæstione pro vera sententia adducta sunt, ut sonant, & ad litteram, ut patet ex se, iis verò, quæ in contrarium propositæ sunt, nec longa, nec difficili ambage, ut mox patebit. Et quod ad directam obiectionis solutionem pertinet tuetur præterea utilitatem non exiguam, nec absolute contemnendam veterum, ante Christum, sacramentorum. Nec enim utilitate vacat absolute magna opus externum potestatiū fidei, & significatiū diuinarum promissionum, instruens proinde intellectum, & excitans animum ad eandem fidem, & ad spem firmissimam futurorum bonorum; Quod fuit omnibus antiquis sacramentis commune. Multo verò

verò minus vilitate vacat opus externum, cuius, in cultum Dei, exequendi laudabilis, & religiosa voluntas coniuncta cum fide, quam idem opus externum protestaretur, induceret infallibiliter gratiam, quam, saltem cum eadem infallibilitate, inducere non valent alij actus interni circa alia obiecta; tamen si essent perfectionis intrinsecè haud quaquam minoris, vel etiam maioris. Eiusmodi autem opus fuit, ut mox dicitur sacramentum circumcisionis, & ante circumcissionem sacramentum; quod dicitur, & erat remedium legis naturæ aduersus originale.

Ad 2. Scopus Innocentij in illo c. est, ut patet ex eius initio, damnare hæreticos docentes nullum peccatum remitti posse, nisi per caritatem, & actum diuinæ dilectionis elicitum ab eo, cui remittitur peccatum; ac proinde perperam baptismum impendi parulis, nec sentientibus, nec consentientibus, nec diligentibus Deum. In hunc autem scopum sufficit definire, prout præcisè definiuit, per baptismum remitti peccatum, & damnationis periculum vitari, idemque olim præsistit fuisse per circumcissionem. Ceterum, an ex opere operato, an ex opere operantis ministri procedat, aut procederet olim is effectus, nequaquam determinat; sicut nec definit; an cum remissione peccati conferatur simul, aut conferatur gratia sanctificans; quod tamen erat multò & manifestius, & scopo propinquius. Nempè animus Pontificis fuit, ut elucet ex medio eiusdem capituli, nihil eorum definitione sua completi, de quibus esset aliqua inter Doctores Catholicos controversia. Erat verò controversia eo tempore inter Doctores Catholicos de infusione gratiæ simul cum remissione peccati, ut liquet ex D. Thom. loco indicato; estque in hunc usque diem de remissione peccati, per circumcissionem ex opere operato. Eadem de causa illud tantummodo discrimen expresse constituit inter baptismum, & circumcissionem, quod non erat controuersum inter Doctores Catholicos, de aditu ad regnum Cælorum protinus patefacto per baptismum, per circumcissionem verò ad futurum usque tempus dilato, permittens cetera opinionibus, & liberæ, prout cuique videretur determinationi Theologorum. Ex his igitur apparet nihil in alterutram partem haberi pro controuersia præsentis ex illo Innocentij decreto.

Art. 1. Ad 3. Eadem est ratio de Augustino, atque de Innocentio; nisi quod Augustinus pugnat aduersus alios hæreticos attribuentes similiter remissionem peccati soli fidei suscipientis, seu modò baptismum seu olim circumcissionem, & dicentes consequenter neutrum sacramentum parulis prodesse, ut liquet clarissimè ex toto præsertim libro illò quarto contra Donatistas. Quare dum dicit c. illo 24. *ipsum, per se ipsum, sacramentum plurimum valuisse*, solum contraponit virtutem sacramenti indigentia actus fidei, aut alterius cuiusquam actus meritorij ex parte suscipientis, non verò indigentia similis actus ex parte ministrantis. Quia videlicet hoc secundum nihil conducebat ad scopum disputationis, & ad impugnationem hæreticorum; ideoque ab hoc puncto præscindit omninò Augustinus, tum ibi, tum in omnibus aliis locis, in quibus agit eadem de re nihilque proinde usquam determinat de remissione peccati per circumcissionem ex opere operato, vel ex opere operantis ministri.

Art. 2. Iam circa testimonium illud ex Genesi multa mouet, nec leuiter Vasq. Primo ut expugnat particulam, *octauo die*, quæ nec in vulgata reperitur nec in versionibus aliis, nec adiungitur circumcissioni, sed interitui in editione ipsorum septuaginta emendata iussu Sixti V. Deinde ut nomine testamenti pro quo in vulgata habetur pactum, intelligatur præceptum de ipsa circumcissione. Demum, ut iuxta mentem plu-

rium aliorum PP. concludat solum ibi contineri præceptum circumcisionis respectu adultorum. Ut vtraque hæc habeant, iis etiam omnibus admissis, quæ assumit, & docet Augustinus, adhuc superest locus eidem illius testimonij interpretationi, quæ modo adhibita est ipsi Augustino, nec non discrimini per nos intento inter circumcissionem, & baptismum. Et quidem, quod ad discrimen attinet, agnoscunt illud aduersarij nostri, tum omnes vnanimiter quoad maiorem vniuersalitatem baptismi, utpote vtilis, ac necessarii scemini non minus, quam masculis; cum circumcisio solis masculis præscriberetur; tum etiam ferè omnes quoad maiorem necessitatem baptismi. Admittunt enim circumcissionem paruuli fuisse absolute supplebilem alio medio; atque paruulos, ante octauum diem in præsentissimum vitæ periculum, adductos, aut ipsa circumcissionis acerbitate in illum certissime adducendos ideoque incapaces eius sacramenti, vel legitime excusatos, ab usu illius potuisse obtinere remissionem originalis per remedium legis naturæ omittà circumcissione, & facta applicatione meriti actus fidei, & religionis, vel puræ internæ, vel per aliam actionem exteriorem loco actionis circumcisiuæ; cum tamen baptismi re ipsa collati nullum omninò superstit supplementum respectu paruuli. Quod est certum apud omnes.

Art. 3. Istud discrimen innuit sufficienter sacer ipse textus in locis, obijciuntur. Nam dum dicitur, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto &c.* significatur eo modo esse necessarium baptismum filiationem supernaturalem respectu Dei; quomodo necessaria est generatio naturalis ad naturalem respectu hominis, filiationem. At dum dicitur, *anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit &c.* sola significatur ratio communis necessitatis, quæ multipliciter exponibilis est absque violentia. Exponatur igitur cum fundamentis iam prælatis de necessitate præcepti; atque dicatur extitisse quidem obligationem circumciden- di pueros, & insuper circumcissionem contulisse peccati originalis, non tamen ex vi actionis exterioris secundum se, & ex opere operato, sed ex vi actuum interiorum, & ex opere operantis; atque ideo, superueniente impedimento exterioris realis circumcissionis, obtinere nihilominus potuisse eundem effectum per eisdem actus internos, vel solos, vel aliter manifestos, ac applicatos exterius. Quapropter hæc videtur esse legitima omninò, & absolute tenenda ratio vniuersalis concordia inter auctoritates hinc, & inde proponit solitas in quæstione præsentis, & superius indicatas ex parte; ut negantes antiquis sacramentis, præsertim circumcissioni, vim collatiuam gratiæ, & remissionis peccati, intelligantur de collatione, & remissione ex opere operato; affirmantes verò, intelligantur de collatione, & remissione ex opere operantis. Cuiusmodi discriminis, & intelligentiæ diuersæ verborum similium reddita iam est ratio sufficiens, tum ex contextu, tum ex parte materiæ, eiusque circumstantiæ.

His ita expeditis superest ut exponatur modus quo sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato: an scilicet physica causalitate an sola morali causalitate illam conferant. Pro cuius rei clara manifestatione necesse omninò mihi est, ut præferam tres alias quæstiones aliquantulum vniuersaliores, quam sit res, de qua nunc agitur; sed quas nihilominus omnes ferè auctores in hunc locum coniiciunt ducti necessitate modò à me asserta, & perspicienda clarè ex progressu doctrinæ.